

DE
MISTERIO
S ANCTISSIMÆ
TRINITATIS CONCIO,

DOCTORIS ORONSUSPE NA
uarri Olitensis, theologi Illustris. & Reue
rendis. D. Didaci Ramirez Seden
no, Episcopi Pampilonensis,

HABITA IN SACROSANCTA SYNODO
Tridentina Dominica Sanctæ Trinitatis VI. Iunij.
M D L X I I I.



PATAVII,
Apud Christophorum Gryphium,
M D L X I I I.

DE MISTERIO SANCTIS-
SIMÆ TRINITATIS CONCIO

DOCTORIS ORONSUSPE NAVARÆ

ri Olitensis Theologi Illustriss. & Reuerendiss.

D. Didaci Ramirez Sedenno Episcopi.

Pampilonensis,

HABITA IN SACROSANCTA

Synodo Tridentina Dominica Sanctissimæ Trinitatis

VI. Iunii. M D L X I I I.

Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat nos Deus, &
metuant eum omnes fines terræ, Psal.66.



IDEBOR fortasse uobis inepte fa-
cere, Illustriss. Cardinales, Clariss. Ora-
tores, Reuerendiss. Patres, necnon uiri cu-
iuscunque ordinis expectatissimi, ac lite-
ratissimi, qui cum nulla sim cognitus cõ-
mendatione, audeam in hunc locum à do-
ctissimis, & sapientissimis theologis ue-
stris ornatum, ascendere præsertim cum
neque doctrina, neque dicendi facundia,
neque denique rerum Vsu, aut experien-

tia, sim cum his conferendus: qui ante me dicere consueuerunt, uerum ue-
ster omnium incredibilis animi candor, quo cæteros qui in eadem arena
uersari solent amplecti consueuistis, impulit, ut hodierno die, de Augustis-
simo sanctæ Trinitatis misterio, uobis audientibus hoc loco dicerem.

Sed illud modo ante quam ulterius prouear, a uobis summo opere contendo,
Vt quando omne meum perfugium in uestra bonitate, ac clementia situm
est: tenuitatem meam uestro fauore, & silentio subleuetis, quo meus hic ser-
mo, his ueluti secundis subiectus, uentis quem sibi proposuit portum, faci-
lius consequatur: quod ut commodius cum fructu aliquo præstare ualeam,
summis precibus à me efflagitandus est diuinus, & cælestis spiritus, quem
ut summus opifex, ac moderator CHRISTVS (in cuius unius gloriam
huc dicturus accessi, concedere dignetur; ad Virginem matrem tanquam
ad sacram anchoram confugiendum est: quæ pro corde inuocata, & an-
gelico eloquio reuerenter salutata, facile id quod quærimus impetrabit

Ber. in
Sermon. 2

praesertim cum nulli unquam patrociniū optatum roganti denegauerit
adeamus igitur omnes, & cum ipso angelo dicamus, *Aue Maria.*

Benedicat nos deus, deus noster, Benedicat nos deus:
& metuant omnes fines terræ: Psal. 66.

PAulus uas electionis merito uocatus, mirabilis dei imitator, quem ex
persecutore magistrum, & doctorem gentium fecit, cum contempla-
retur dei optimi maximi opera eius (immensam erga genus humanum cle-
mentiam, & altius secum expenderet) quomodo deus quosdam eligat, quos-
dam uero reprobet, illius misereatur, hunc uero obdurari sinat, admira-
tione maxima ductus in cœlum conuersus exclamationem erupit. O altitu-
do diuitiarum, scientiæ, & sapientiæ, quis intelligit mentem dei quanto in-
quit magis, ac magis dei secreta quærere cupio, tanto profundius mare in-
gredior, nec mentis me acie excogitare ualeo eius profundissima misteria
quæ sententia amp. p. non immerito hodierno die uestro omnium conspectu
à me proferri potest, nam si acutissimi philosophi, si peritissimi theologi,
si exercitatissimi in omni disciplinarum genere homines, facilius esse dixe-
runt assignare quid deus non esset, quam quid esset quanto magis animus
meus expauescet in huius sacri misterij meditatione exorescit mens, nec
lingua suum præstare aut exigui officium potest, nam quid magis arduum
hominibus proponi, aut obijci potest, quam hoc augustissimum sanctæ Tri-
nitatis misterium; quid magis admiratione dignum? quam tres personas pa-
tris, filij, & spiritus sancti, unum deum esse, unam substantiam, atque essen-
tiam; quid denique est cum omnia mente animoq; lustraberis, quod dici,
aut excogitari possit maius? res est mihi credere, quæ nec intellectu per-
cipi, aut excogitari, nec lingua enarrari, nec rationibus peruestigari po-
test certissimam tamen ueritatem firmissimo sacræ scripturæ testimonio
comperiemus: ex ipso inquit, per ipsum, & in ipso sunt omnia, est enim
pater, per quem omnia, & nos iniquum, ut testatur diuus Paulus per fi-
lium omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil scribente Ioanne per
spiritum sanctum habemus accessum ad patrem & filium, ut scribit Pau-
lus ad Ephē. 2. hæc est sancta Trinitas quæ in cœlis unus est Deus, quam uè
dere sicuti est summa dicitur & perfecta felicitas, quod si nihil magis in
uotis esse solet, quam ut principum, gratiam, & fauorem habeamus, quos fru-
ctus hæc uita exhibere solet, ut bene, & feliciter homines uiuere possint
quanto maiores, & uberiore expectare debemus ab ipsa sancta tria de
patris filij, & spiritus sancti, cuius imago in nobis relucet, est quæ in anti-

Actu. 9
Chri.
super
Matt.

Roma.
11.

Roma.
11.
I. Ioan.
1.

Gre. in
Mo.

mis nostris infixæ; quod si contingat principes etiam incredibili amore
 prosequi, illud tamen non diu durat cum caducum, & perexiguum censea-
 tur, atqui sanctissimæ Trinitatis fauorem nacti fueritis, patronum ha-
 bet constantem, misericordem, potentem, & perfectum, diuitem in mise-
 ricordia, magnificum in iustitia, qui iudicat innocentes, & misericordi-
 ter saluat peccatores quamquam uero non dubitem, quin uos omnes in hoc,
 ut in cæteris fidei nostris articulis sitis edocti, quos omni pietate, religio-
 ne, & exemplo à teneris annis estis semper amplexi, tamen nisi molestum
 est, adducam locum unum, aut alterum, quibus hanc nostram sacram tria-
 dem confirmare uidear, quam nonnulli Herodis insania, & Sathanæ impetu
 Aquilone suscitato euertere conati sunt; scribitur Gen. 1. In principio De-
 um creasse Cælum, & Terram, & Spiritum domini ferri super aquas, ne-
 mo est, qui dubitet nos per deum patrem intelligere debere, per princi-
 pium, filium, per spiritum domini spiritum sanctum in qua trinitate tan-
 tum est una, quantum tres simul, nec plus, ut testatur D. August. sunt
 duæ, quam una, & ita ut idem testatur August. singula sunt in singulis, om-
 nia in singulis, singula in omnibus, omnia in omnibus, & omnia unum, ani-
 ma. aduertite quæso diligentius ea, quæ sequuntur, summus ille patriarcha.
 Abraham tres uiros prope se æstantes ante ostium tabernaculi uidisse le-
 gemus, unam tamen adorasse confessus est, quibus uerbis etiam si tres per-
 sonas inter se distinctas fateatur unum tamen deum aperte confitetur, quod
 & si creditu difficillimum sit, quod mentem humanã ex superet gaudeat ta-
 men homo, deum cognoscens in trinitate illi, gratias agat, & tendat ad
 pietatem, quod unus sit Deus sed tamen Trinitas quod Esaias, per ter-
 nam illã compellationem, Sanctus, Sanctus, Sanctus. definitionem personarum
 indicauit, unitatem uero essentia per additionem dominus Deus Sabaoth,
 quod propheta uerbis à me initio allatis luce clarius hominum animis in-
 fixit, Benedicat nos Deus Deus noster, Benedicat nos Deus, & metuant
 eum omnes fines terræ huius tanti misterij, cum August. in sole ipso licet
 intueri, in quo tria contemplantur essentiam, splendorem, & calorem essen-
 tia solis à nulla creatura creata est, sic neque pater: splendor ab essentia, sic
 & filius à patre: calor uero ab utroque: sic spiritus Sanctus procedit à pa-
 tre, & filio. itaque ut scribit D. August. in Trinitate numerus est, sed nu-
 merus non apparet, quia tres qui testimonium dant in cælo Pater, filius, et
 spiritus sanctus, unum sunt. Cum igitur Augustissimum misterium tam ar-
 duum sit supereminens abditum & admirabile ut à nullo mortalium possit
 percipi, aut peruestigari, facius erit iudicia Dei admirari & adorare, quã
 uelle perscrutari. Nã ut affirmat D. August. ubi quæritur unitas Trinita-

Aug. li.
 6. de tri-
 nit.

Ge. 13.

Esa. 6.

psal. 66
 Aug. de
 uerbis
 domini

Aug. 1.
 de tri-
 nit.
 1. Io. 5.
 Aug. li.
 1. de tri-
 ni.

tis, patris filij, & Spiritus sancti, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid queritur, nec fructuosius aliquid inuenitur. quare generis humani hostis inuidia gloriae humanae motus, quosdam decepit, ut à confessione sanctae Trinitatis auerteret: quales fuerunt Ebionitae, Samaritani, Artemonitae, qui secundam Trinitatis personam Deum esse negarunt: sed tantum habuisse naturam humanam. Verum quis non uidet Deum patrem pro sua bonitate generi humano corrupto donasse filium suum Dominum nostrum Iesum Christum? qui nos restituat, sibiq; reconciliet à tyrannide diaboli liberet, & ad uitam aeternam perducatur; neque audiendi sunt sceleratissimi haeretici, Macedoni, Arriani Eumonitae, qui Spiritum sanctum, aut patri aequalem non esse, aut à patre, & filio non procedere impudentissime affirmarunt. Verum simul cum Pater caelestis Spiritum sanctum in corda nostra infundit, uoluntatem nostram illuminet, totumq; hominem perficit, sua praesentia totus immutatur, & ueluti quasi nouus factus uidetur Spiritus sanctus, impellit uoluntatem nostram ad accensum, & trahit ad amorem rerum intellectarum, ne desperemus propter peccata commissi. sed per Christum patri reconciliatos esse credamus. Adit quoque Spiritus sanctus uires, ut quae ipsius gratia uolumus, & intelligimus, eius quoque auxilio praestare possimus, uideat nunc unusquisque, quomodo Spiritus sanctus operetur in nobis per internam suam gratiam uideat filium per suam mortem à damnatione aeterna nos dissolutos reliquisse, uideat, & credat has tres personas aequales esse in maiestate, pares esse in potestate, unum Deum esse, unam substantiam, & essentiam, qui cum simplex sit, neque partium, neque accidentium diuersitate constabit.

Verum si alicui uenit in mentem, quomodo in hac sancta triade tres personae Patris, filij, & Spiritus sancti, sunt unus Deus quomodo in una persona sit uerus Deus, & uerus homo simul, similiter quomodo his ex casta Virgine citra uiri operam potuit concipi, & nasci, quomodo eius gloriosissimum corpus sit in caelis ad dextram Dei patris, & simul sit in augustissimo Eucharistiae sacramento, & si quae his similia occurrant, cogitet precor profundissimas & abditissimas esse Dei omnipotentis diuitias cogitet illum nil sine causa fuisse sed omnia probe disposuisse, cogitet ex ipso, in ipso, & per ipsum omnia facta esse, & pronus lachrymas Deum adoret, eius profundissima misteria admiretur, cogitet scriptum esse probe cuncta a Deo disposita, & ordinata esse quemadmodum enim noluit Deus nos scire, num praedestinati, uel reprobati simus, ne in securitatem carnalem, aut ignauiam, uel potius in desperationem labamur, sed uoluit nos continuo uersari inter spem, et metum: hinc iubet D. Paul. ut cum timore & tremore Phi. 2.

Ro. 10. operemur salutem, ut illic non debemus esse nimium curiosi, sit neque in
Hebre. hac sancta triade, sed fide qua credimus ad Iustitiam, & sine qua placere
11. Deo non possumus, credendum, & tenendum est: ne cupientes scrutari ma-
Proue. iestatem oprimamur à gloria, ut testatur sapiens, omnino igitur & citra
25. ullam dubitationem credamus credenda omnia, & simus solliciti in sola ob-
seruatione uerbi, mandatorumq; Dei amplectentes sanctorum monumenta,
summorum Pontificum decreta, & ueneranda sacrorum cõciliorum, & sta-
tuta quibus Spiritum sanctum adesse credimus reiicientes uanas & ieiunas
questiones potius ad segregandas Christi oues, quam ad eas reducendas
ad Christi ouile, uel in eo retinendas conducunt, pie enim Siracusanus ille
nos admonet, ne curemus perscrutari altiora, & fortiora, sed per opera
bona, & ecclesiæ statuta uocationem nostram ad quam creati sumus adima-
pleamus, quemadmodum tempore inundationum aquarum soli illi, qui in
Noe arcã se receperant fuerunt à morte liberati ita soli illi qui intra li-
mites sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ uixerint, regnum Christi nunquam
penitutum possidebunt, porro agnoscamus beneficium immensum, quod à
sancta triade in nos usque peruenit, tota sancta trinitas patris, filij, & spi-
ritus sancti, cõcurrit in negotiũ iustificationis, & salutis nostræ. nam
Deus pater semen illud cœlestè in mirum uerbum suum, in corda nostra
immittit, cum regenerationis principium & uirtus ex semine nempe uer-
bo Dei, Spiritu sancto uerificato profluat, Spiritus sanctus semen illud
in cordibus electorum uerificat, filius uero aqua sanguinis sui preciosissi-
mi, per Spiritum sanctum conceptum humectat semen illud, ut fructum
saluberrimum exhibere possit, & exhibito, homo possit Deum amare, &
amando eius incomprehensibili bono fini. Ut autem tres sunt personæ, ita
tria in nobis regenerari oportet: intellectum, memoriã, & uolunta-
tem, quorum unumquodque reliqua duo capit ut D. Augusti. testatur, ideo
in mente humana imaginem Trinitatis reperiri uoluit, oportet itaque in-
tellectum, ut basim nostræ salutis intelligamus, uoluntatem, ut quæ bene in
intelligimus uelimus, & uires ut quod uolumus re ipsa præstare, & exe-
qui possimus, huic constat solum Deum trinum in personis auctorem esse no-
stræ salutis. Itaque cum beato Bernardo exclamare licet, o beata & beati-
fica Trinitas ad te mea misera Trinitas miserabiliter suspirat, nam à te di-
scedens multis doloribus calamitatibus, & erumnis inuoluitur.

Gen. 8. Nunc anp. P. cum intelligatis uerum Dei cultum periclitari, hoc unum
superesse uidetur, uestrarumq; partium esse, ut Petri nauiculam multis fla-
gitorum fluctibus agitatum, in uerum Genuinumq; splendorem reuo-
catis, sic enim & spectationi, quam de uobis uiri boni semper habuerunt.

Aug. 1.
de trin.

Berna.
Ser. 11.
super
cãtica.

respondisse, & uobis ipsis nunquam defuisse uidebimini conuenistis ex remo-
 istimis orbis partibus dereliquistis patriam charissimosq; penates non
 ut de priuatis commodis aut honore & gloria caduca, non ut de focis, &
 lateribus, aut de pace Pirri, sed de communi totius reipublicæ christianæ
 salute, de dei optimi maximi honore, & gloria de ecclesiæ labescentis sta-
 tu, & integritate extreme, ac uiriliter agatis intelligant amp. p. intelli-
 gant inquam non solum ueri dei cultores, sed barbaræ etiam nationes ue-
 strum erga Christum Iesum eius sponsam amorem ad cuius auctoritatem,
 & dignitatem omnes cogitationes, omnes conatus, omnem denique ani-
 morum uestrorum impetum traducatis, uigilandum uobis est, & orationi
 uacandum, ut hæcenus fecistis ne ambitione in Deum pugnetis, neue inui-
 dia in pares contendatis, sed uestra auctoritate, uestrisq; consilijs sacro-
 sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam incolumus hostes profligate, & exterminate
 attendentes uobis & uniuerso gregi, in quo posuit uos Spiritus sanctus
 Episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit suo sanguine, rationem red-
 dituri incorruptissimo iudici sanguinem ouium perditarum demana pasto-
 ris requirenti: perpendite huic sacrosanctæ Tridentinæ Synodo, per Spi-
 ritum sanctum commissam inesse ecclesiam, ut illam nunc merentem, uos om-
 nes in matrem uestram recipiatis, iacentem uestris brachijs erigatis, &
 micantem sincera fide, & doctrina fulciatis: uestram ac eius maiestatem
 in tanta hominum, & temporum perfidia retineatis, & retentam nos om-
 nes incredibili amore prosequamur; nam si de infelicissimo ecclesiæ statu
 uerba faciamus, quando per Deum immortalem, maioribus magis inuete-
 ratas odijs impugnata est? quando magis obstinata rebellionem in eam pu-
 gnatum? quando plures hostes in suam perniciem iuratos perpeffa est?
 quando honori ecclesiæ magis detractum est, quam his infelicissimis, & ca-
 lanitosis temporibus, in quibus sedes Petri, impudentissimæ apud capitales
 hostes ecclesiæ regnum Antichristi uocatur & sacrosancta conciliorum au-
 thoritas uilipenditur & contemnitur. tollite felicia, & uictoria ista si-
 gnain hosce communes omnium bonorum hostes, qui cum uerbum Dei to-
 ties susceperint, facti sunt similes terræ deprauatæ, quæ optimo semine sæ-
 pe ac sæpius suscepto, nil aliud reddit, quam infelix lolium, & steriles aue-
 nas facite, ut capitales hostes ecclesiæ resipiscant, & dent honorem, & glo-
 riam uero Deo, nec amplius tot ineptijs quas suggerente Sathana admine-
 riant mentes piorum implicent, ita ut uniuersus terrarum orbis fateri com-
 pellatur nullos unquam neque præteritis temporibus, neque presentibus
 ecclesiæ amantiore extitisse ardentioriq; animo charissimam Christi spon-
 sam fuisse persecutos. Curate igitur pro sacrosancta inter uos ipsam que

AA. 10

Ezech.

3.

Hebre.
13.

ecclesiam coniunctione , pro uestra singulari religione & , pietate , quibuscunque potestis modis languenti religione prospiciatis , uos felicissimos uos beatissimos , fore existimate , si omnes cogitationes , omnia consilia , omniaq; uestra studia , in pietatem , in religionem , in ecclesiam , in Deum optimum maximum retuleritis , præsertim cum nulla dicenda nec appellanda sit uirtus , quæ in Deum perinde ac in summum , & incommutabile bonum non referatur , ferte auxilium pietati , ferte religioni , ferte ecclesie , ferte rebus uestris , uobisq; ipsis in fide ecclesia actum esse uelitis . eam enim concepimus spem , uos melius longe facturos quam nos sperare possimus . Qui eduxit pastorem magnum ouium in sanguine æterni testamenti dominum nostrum Iesum Christum , aptet uos in omni bono , ut faciatis semper eius uoluntatem , facientes quod placeat ipsi , per Iesum Christum dominum nostrum , cui est laus , honor , et gloria in secula seculorum . Amen .

F I N I S .